



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Dispvatio VI. De Conscientia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

dum, si esset avaritia, aut sine fortitudine, nam ob pecuniam aut timorem facile induci posset ad peccandum contra Castitatem: ergo habitus ille non est perfecta virtus absque fortitudine, & liberalitate.

Contra: quia gratis hoc modo exponit Caet. ad tuendam suam sententiam, definitione Philosophi. Deinde habitus Temperantiae in omni etiam casu inclinaret ad Temperate vivendum quantum est ex se, licet alia impedimenta possent occurrere, ob quæ quis non conformaret se inclinationi ipsius: nec potest dici, quod requiratur ad perfectam virtutem, quod quis conformet se actu ad inclinationem eius; alias Adam in Paradiso non haberet perfectam virtutem, quando succubuit Tentationi, quod est contra omnes.

Præterea: consortium aliarum virtutum non conducit ut quis feratur in bonum Temperantiae ob honestatem particularem ipsius, qui non attingit illam honestatem, ut est eiudens: ergo tam perfecte inclinatur Temperantia, quando est sine aliis virtutibus ad obiectum ob suum proprium motum formalem: cum illis, & consequenter si est perfecta virtus, quando illæ sunt annexæ, erit etiam cum non sunt, absque aliis est ex terminis, quod illæ facerent illam perfectam, nisi conducant, ut magis aut melius feratur in obiectum suum ob suum motum.

Uterius potest quis ob amorem Temperantiae contemneret diuitias, & etiam tormenta ac minas sine ullo amore liberalitatis aut fortitudinis, si adiuverat id facere, tunc autem in omni euentu, in quo Temperate viveret cum liberalitate & fortitudine, posset vivere Temperate sine illis virtutibus, & sic corrumpitur manifeste doctrina Caetani, seu effugium ipsius: vide plura in Commentario meo supra.

69 Ex his autem Respondetur primo, ad Confirmationem Caet. mulierem illam perfectissime inclinari posse ad caste vivendum, quantum debet inclinari, per Castitatem, cuius non est superare avaritiam, aut timiditatem; unde quævis succumbens ob avaritiam, aut timorem diceretur incaste vivere, hoc tamen intelligendum esset materialiter, non formaliter, cum non ex voluptate succumberet, sed ob amorem pecuniarum, aut timorem mortis, sicut Temperate vivens ob avaritiam, dicitur Temperate vivere, non formaliter, sed materialiter.

Secundo: si illa mulier non inclinaretur ad caste vivendum cum inuitaretur pecuniis, aut terreretur minis, posset dici esse incaste etiam formaliter, non tamen ob carentiam aliarum virtutum, sed ex eo quod ipsamet castitas ipsius non esset intrinsece tam perfecta quam posset esse, quia posset acquiri tanta perfectio intrinseca ipsius, ut inclinaret ex motu suo intrinseco ad contemnendas pecunias & minas, unde si facile succumberet propositis pecuniis & minis, non esset perfecte casta, sed hoc non præiudicat nostræ doctrinæ, nec fauet Aduersariis.

70 Hinc etiam patet, non recte Philosophari Suarium, dum ait, phylice quid. non posse acquiri perfectam virtutem Temperantiae absque aliis, non vero moraliter, quia moraliter non potest quis exercere omnes actus perfectæ virtutis vnius, verbi gratia, Temperantiae, quin intermiscet actus aliorum, & quin consequenter acquirat habitus aliarum virtutum. Patet, inquam hoc non recte dici, nam quamvis in progressu acquisitionis vnius virtutis usque ad statum perfectum occurrant occasiones exercendarum aliarum, & propterea vna virtus vix acquiri soleat, quin alie aliquæ acquirantur; amen certum est tunc non occurrere occasionem exercendarum omnium aliarum, quæ in communem usum veniunt, tales quippe sunt liberalitas, contemptus dignitatum, Virginitas, Paupertas Evangelica, sed pauperes vix habent occasionem exercendæ liberalitatis, aut contemnendi dignitates, Marimonio coniuncti non habent occasionem exercendæ, aut conservandæ Virginitatis: ergo potest acquiri moraliter etiam virtus perfecte absque aliis omnibus, quamvis non posset sine aliquibus.

Deinde, quamvis occurrerent occasiones aliarum virtutum exercendarum; tamen posset quis eas exercere materialiter, & non ob motum formale earum, & tunc non

acquireret alias virtutes: ergo hoc non obstat, moraliter etiam posset acquiri vna virtus sine aliis. Plura ad hoc valde conducentia videri possunt in Commentario supra, ubi expresse solvuntur fundamenta aduersariorum, quæ propterea hic non propono, & quia etiam ex his facile quilibet potest respondere ad omnes rationes. Ad Auctoritates autem Patrum, quia eas exponere Theologie videtur, & hic agimus Philosophicè; non est, quod respondeam. Responsio autem in Commentario eodem habetur.



DISPUTATIO VI.

DE CONSCIENCIA:



UAMVIS hac dissertatio Theologica videri posset, & propterea hic non tractanda, reuera tamen etiam Philosophica est, nam ad iustificationem aut condemnationem multarum actionum moralium, etiam Philosophicè consideratarum; multum interest quæ quis conscientia ducatur. Itaque ex Commentario meo ad dist. 39. secundi, huc quæ necessaria sunt compendiosius transferam.

QVÆSTIO I.

Quid est Conscientia, & de eius divisione.

OMNIS alius acceptionibus capitur hic Conscientia pro dictamine actuali vel habituali intellectus, quo cognoscitur hic & nunc operationem faciendam esse bonam aut malam moraliter, quo sensu agunt de ipsa potissimum Theologi in 2. d. 9. & 1. 2. 9. 19. & vocatur à D. masio 4. d. fide c. 2. lex intellectus & à Bern de consi. Monera c. 8. Conscientia, eique attribuitur testificari, ligare, & infirmare, infligare, accusare, remordere, ac reprehendere, quia ostendit bonum & malum, sicque faciendū inducit obligationem faciendū bonum, & trahit etiā ad hoc suo modo si quis hoc non obstat peccat, ostendit defectum esse commissum, ac in causa est, cur id displiceat voluntati, quam, ostendendo quod malè ac inconsulte fecerit, reprehendit.

Porro Conscientia in hac acceptione communiter dividitur in rectam, probabilem, dubiam, scrupulosam, & erroneam.

Recta est dictamen verum dictans absque vlla formidine, quod faciendū esse bonum aut malum.

Probabilis est, quæ dictat abque certitudine bonitatis, & malitiam actionis cum fundamento tamen tali, quod posset esse sufficiens viro prudenti ad conformandum se absque ulteriori examine.

Dubia est, quæ non habet rationem sufficientem pro vna vel altera parte.

Scrupulosa est conscientia probabilis habens annexum timorem sensibilem de opposito, qui retrahit à sequendo conscientiam illam.

Conscientia denique erronea est, quæ dictat aliquid esse faciendū aut non faciendū, quod reuera non est tale absque motu probabilis.

Ex his autem Conscientiis, quando quis habet conscientiam rectā de bonitate, aut malitia actionis, aut talem ut quamvis non sit certa, habens tamen illam non dubitat nec timet de opposito ob defectum reflectionis, certum est, quod recte fiat quis conformando se: sed valde bonū esset, ut quis semper reflecteret supra motum dictaminis, nam ita faciendū, saepe vitabit multos defectus, saltem materiales, hoc est multos, quos à parte rei melius esset non committere, quamvis committens illos non peccet ob ignorantiam inculpabilem, unde de hac conscientia amplius non est agendum.

QVÆSTIO

CONCLUSIO I.

QVI erronee iudicat aliquam actionem esse malam, quæ reuera mala non est, si fecerit illam peccabit. Hæc est communis & probatur, quia ex terminis patet esse malum, facere quod absolute quis iudicat esse malum, & hinc patet eum qui inuincibiliter putat actionem esse bonam, quæ reuera mala est, si fecerit eam, bene facere; quia est eadem ratio.

CONCLUSIO II.

Dico secundo qui erronee iudicat aliquid esse bonum aut non malum quod reuera à parte rei malum est, ex ignorantia vincibili per culpam antecedentem, siue crassa qualis est, quam habet qui negligit instructionem, non tamen ad finem habendi ignorantiam; siue affectata, quam habet qui instructionem negligit ad finem non cognoscendi suam obligationem, non peccat conformando se errori, licet peccauerit antecedenter, quando omisit instructionem aut veram notitiam acquirere. Hæc videtur esse contra communiorum sententiam, quæ tenet facientem, quod malum est ex ignorantia, siue crassa, siue affectata iam explicata non excusari.

Probatur tamen, quia probabilissimum est occasionem commissam in ebrietate non esse nouum peccatum distinctum à peccato commissio, quando voluit quis inebriare se: sed de hoc eadem ratio est ac de præsentis conclusionis: ergo.

Probatur secundo, quia aliàs posset aliquis sapissime esse in statu perplexo, in quo scilicet necessario peccaret: sed hæc non est dicendum, cum non videatur congruere bonitati & misericordiae infinitæ Dei: ergo. Probatur sequela maioris, quia si quis culpabiliter omittens discere, quod verbi gratia, esset prohibitum comedere carnes tali die, existimaret postea erronee absque vlla tamen ratione dubitanti, quod esset præceptum eo die eas comedere, peccaret in sententia aduersariorum si eas comederet; & peccaret etiam non comedens eas, quia absolute iudicaret esse præceptum de iis comedendis: ergo peccaret necessario siue comederet, siue non comederet, & sic esset in statu perplexo.

Probatur tertio, quia aliàs ex duabus actionibus habentibus eadem principia & circumstantias, ob quas deberet esse bona aut mala, vna esset bona & altera mala: sed hoc est omnino absurdum: ergo & id vnde sequitur.

Probatur sequela maioris, quia si duo omitterent negligeret acquirere scientiam, qua cognoscere quod esset malum facere aliquem contractum, & postea occurreret vni, erronee tamen, quod esset bonum aut non esset malum illum inire, propterea quæ illum iniret; alteri vero occurreret, quod esset malum, ac ideo eum omitteret, illas duas actiones habere eadem principia ob quæ essent, aut bonæ aut malæ, & tamen secundum principia aduersariorum vna esset mala, altera bona.

Probatur vltima maior, quia principia, ob quæ contractus initus à primo esset malus, sunt solummodo negligentia antecedens, & libertas subsequens ad eum ineundum vel non ineundum, sed alter etiam habet eadem principia.

Dicitur: præterea occurrere ex parte primi, quod contractus initus à parte rei sit prohibitus.

3. Contra, quia cum hoc non cognoscatur ab ipso magis, quam ab altero, non debet variare naturam moralem actionis; absurdum enim videtur, quod aliqua circumstantia variet actionem moraliter, & imputabiliter quæ quantum est ex parte modi agendi ipsius, ac intentione non cognoscitur, nec inest nisi accidentaliter; & sane si hoc sufficeret, posset dici, quod eius qui probabiliter cognosceret actionem esse bonam, quæ reuera bona non est à parte rei, actio non esset bona contra omnes.

Confirmatur hic discursus: quia absurdum videtur quod ex duobus operantibus vnus faciat male, alter bene, quod vterque habet eandem rationem accusandi vel excusandi

di se, sed in casu posito vterque habet eandem rationem excusandi aut accusandi se: ergo vel vterque male facit, vel bene.

Probatur minor, quia non iniens contractum post negligentiam non habet aliam rationem excusandi se, quam quod non obstante negligentia iudicauit absolute contractum fuisse malum; nec habet vllam rationem excusandi se, quam quod fuerat ante negligentiam: sed alter etiam iudicauit absolute, quod erat bonum inire contractum & hac ratione consequenter poterat se excusare ob eum inire; nec habuit vllam rationem accusandi se, quam quod adhibuerit negligentiam antecedentem, quæ si non fuisset, non fuisset accusandus secundum vltos. Quod vero postea re examinata reperitur vere contractum fuisse malum ut iudicauit vnus, non vero bonum, ut alter putauit, non facit ad rem, quia neuter dum operatur, melius id sciuit quam alter. Videantur plura, si placuerit, in meo Commentario supra ad dist. 19.

Obiicit primo, S. Bernardum lib. de præcepto & dispensatione, & c.arius ep. 77. qui oppositum docere videtur, quod etiam confirmatur ex scriptura Ioan. 16. Venit hora ut omnis qui interfecit corpus, & sic etiam intelligenda est scriptura, quatenus applicatur ad eos, qui ea non obstante peccauerunt; & dico, eos qui peccauerunt; quia non dubito quin multi interfecerint discipulos aut prædicatores, qui non peccauerunt propterea, quoniam ignorantia erat inuincibilis ipsis dum interfecerunt; & si esset vincibilis antecedenter tantum non peccarent propterea.

Obiicit secundo, Actio mala committenti ipsam est libera in causa, quia libere omisit diligentiam, qua adhibita cognosceret malitiam: sed hoc sufficit ut sit mala, quia omne malum sequens ex natura rei ad actionem liberam alicuius potest attribui ipsi moraliter.

Respondetur primo, hanc rationem eque concludere, quod actio mala commissæ ab ebrio esset mala moraliter, & attribuenda ipsi tanquam nouum peccatum contra multos ex aduersariis, qui propterea eam male vident, & debent respondere quando opponeretur contra illam actionem, responsio vero quæ ibi sufficeret, eque bene satisfaceret hinc.

Respondetur secundo, negando minorem & distinguendo probationem eius, quantum ad hoc, quod actio, qua applicabatur causa, sit mala malitia participata à malitia obiectiua actionis sequentis, quoties illa malitia præuidetur concedo; quantum ad hoc, quod actio sequens sit mala formaliter, nego, præsertim si depeadat à nouo exercitio libertatis, & principis, ex quibus proueniret sine malitia, ex suppositione quod non præcessisset illa causa, ut contingit in casu huius conclusionis.

Dixi: præsertim si depeadat à nouo exercitio libertatis, &c. quia aliquando actio, quæ sequitur ad negligentiam potest produci sine libertate proxima, & talis est occasio facta ab ebrio, qui præuidit eam posse sequi; aliquando dependet proxime à libertate, ut contingit in casu presentis; & quamuis prima posset esse peccaminosa, tamen secunda non esset.

Aduerto tamen circa totam hæc questionem, mihi diu An possibile esse quomodo possit aliquis habere iudicium erroneum distinctum à iudicio probabilis; nam certe non videtur intellectus posse assentiri alicui propositioni non euidenti ex terminis nisi propter aliquod motum distinctum, & illud motuum debet esse, vel ratio aliqua, vel autoritas alicuius dicentis; si autem sit autoritas, assensus erit actus fidei & satis probabilis, si non occurrat ratio aliqua impediens hæc autem si occurreret, non haberetur talis assensus.

Si sit etiam ratio, non apparet quomodo non esset probabili, modo possit sufficere intellectui ad præbendum assensum. Quod autem res iudicata non sit ita ad partem rei sicut iudicatur, non impedit quominus iudicium sit probabile: nam obiectum vnius ex duobus iudiciis probabilibus contrariis debet necessario aliter se habere à parte rei, quam iudicatur per illam opinionem. Vnde descriptio superius posita conscientiam erroneam, quod scilicet esset iudicium falsum absque motione probabili, videtur esse de subiecto non supponente ut dicitur, supponit enim dari posse tale iudicium, quod tamen videtur propter rationem iam præmissam dari non posse. Si tamen possit dari iudicium erroneum quod non sit probabile, iudicandum erit iuxta præmissam resolutionem de actione eius, qui operatur ex eo aut secundum ipsum.

QVÆSTIO III.

De conscientia probabili.

Agitur hic speculater de conscientia aut iudicio probabili, sine culpa antecedente aut concomitante eius possit infici actio, quæ alias non inficeretur, aut saltem non inficeretur ex hoc capite; duplex autem potest esse huiusmodi iudicium, vnum cum reflectione de incertitudine ipsius, & cognitione possibilitatis oppositi, sine iudicio tamen quod oppositum sit etiam probabile. Alterum cum talireflectione & iudicio quod oppositum sit probabile.

Aliud iudicare propositum esse probabilem, aliud iudicare ipsam esse veram; nam iudicare esse veram est absolute asserere quod prædicatum ipsius conveniat subiecto, ut si quis in mente dicat licere homini habere plura beneficia; iudicare vero esse probabilem est iudicare quod sint motiva sufficientia, ob quæ quis posset absolute dicere, quod sit vera, seu quod prædicatum eius conveniat subiecto, quamvis non certo concludat hoc, quorum iudiciorum diversitas constat tum ex hoc ipso, tum quia Deus ipse iudicat propositiones multas esse probabiles, sed non iudicat probabiliter eas esse veras; tum quia de probabilitate propositionis potest quis habere assensum certum; non tamen de ipsa veritate propositionis seu convenientia prædicati cum subiecto; tum denique quia potest quis simul iudicare duas propositiones contradictorias esse probabiles, ut quod materia prima possit esse sine vlla forma, & non possit esse sine aliqua; non vero potest probabiliter iudicare simul, quod possit esse sine vlla, & quod non possit esse sine aliqua, & hinc sequitur quod quamvis quis iudicet vnam propositionem esse probabiliter opposita, possit tamen iudicare probabiliter oppositam esse veram, quia maior probabilitas non determinat ad iudicandum quod propositio, quæ est magis probabilis, sit vera, sed id dependet à determinatione voluntatis, quæ potest determinare intellectum ad iudicandum quam voluerit ex probabilibus esse veram.

CONCLUSIO I.

Quando proponitur probabiliter quod vtrique pars opposita sit bona, potest sine dubio quis quam voluerit facere, quæ pars non apparet malicia, quæ inficeret alteram actionem; similiter quando apparet probabiliter obligatio faciendi aliquam actionem & apparet etiam simili modo obligatio non faciendi ipsam, potest recte illam vel facere vel non facere, quia alias esset in statu perplexo in quo: bisque culpa sua necessario peccaret; nec potius vna electio esset mala quam altera.

CONCLUSIO II.

Quando apparet vna pars esse licita ob morinum probabile verbi gratia ob dictum hominis fide digni, & pars opposita non apparet probabiliter illicita, quamvis non appareat quin possit esse illicita, potest quis amplecti partem que sic apparet licita. Hæc est communis, & probatur

qui alias numquam possemus aliquid facere quod non sequi, constaret certo fieri posse, & cum de paucissimis certitudine habeamus, paucissima possemus facere, & sapissime reddi possemus perplexi.

Confirmatur quia ex probabilibus quarum vna apparet licita & opposita illicita, possumus sequi quam voluerimus, ut postea dicam: ergo multo magis possumus sequi partem, quæ apparet licita in casu conclusionis huius.

Hinc autem sequitur si vna pars appareat probabiliter illicita, & altera non apparet probabiliter licita, quamvis non appareat quin possit esse licita, non potest quem recte facere quod apparet illicitum, quia est eadem ratio de hoc ac priori casu, & qui alias non obligatur ad omittendum aliquid, nisi quando constaret ipsum, certo quod esset omittendum, quod est absurdum.

CONCLUSIO III.

9 Quando aliquid apparet probabiliter licitum, quamvis appareat etiam probabiliter illicitum, si non appareat sequi aliud detrimentum quam periculum peccati ortum ex eo quod apparet probabiliter illicitum, potest quis illud facere, etiam quando magis probabile videretur quod esset illicitum. Hæc est communissima, quod primam partem, quæ agit de casu, quo non magis apparet probabiliter quod res esset illicita, & patet quia nulla lex potest obligare nisi sufficienter promulgatur & innotescat: sed lex illa per quam res, quæ probabiliter apparet illicita, prohibetur seu redditur illicita, non est sufficienter promulgata in casu conclusionis: ergo non obligatur quis ad omittendum illud quod apparet illicitum, & consequenter poterit non omittere illud.

Confirmatur per fundamenta secundæ partis quæ si vera est, non potest esse dubium de prima, quæ longe facilius est.

Probatur secunda pars, nempe quod possit quis facere quod apparet probabiliter licitum, licet magis probabile appareat quod non sit licitum in casu conclusionis, est iam longe communior, inter recentiores præsertim, quos fute citat & sequitur Auerla q. 18. l. 18. contra Henricum quodl. 4. q. 3. Adrianum, Maiorem, Navar. & alios apud eundem Auerlam.

Probatur autem, quia quoties apparet probabile quod actio sit licita, iudicium de maiori probabilitate alterius partis non est sufficiens promulgatio legis, per quam actio illa redderetur illicita; sine autem sufficienti promulgatione non potest obligare lex ad omittendam actionem, loquor autem de obligatione in conscientia, non de obligatione quoad forum externum, quæ non facit ad propositum & spectat ad tractatum de legibus.

10. Probatur secundo quia si actio talis esset illicita, vel id apparet ex terminis, quod nemo dixerit, cum tot classici Authores id negent; vel constaret autoritate, quod etiam dici nequit, cum plures teneant quod sit licita; vel denique colligeretur ratione, sed neque hoc est verum; quia si per vllam id colligeretur, maxime per hanc: malum est facere quod minus tutum est, sed minus tutum videtur facere quod minus probabiliter apparet licitum; vel per hanc aliam: malum est facere quod probabiliter apparet malum; licet appareat etiam, sed minus probabiliter, esse bonum; sed hæ rationes non sufficiunt, nam vtriusque maior est falsa, & in ea directe petitur principium: ergo actio talis non est illicita.

Probatur tertio quia si esset magis probabile quod actio esset bona, licet esset probabile, sed minus, quod esset mala, ipsimet aduersarij fatentur quod possit elici, sed licet cognoscatur maior probabilitas malicie obiectivæ actionis, hoc est illius, quam habet præcendendum à cognitione operantis, tamen est magis probabile quod quis posset absque culpa eam elicere: ergo licite potest quis eam elicere. Probatur minor quia magis probabile est quod potiori parti Doctorum apparet, quando præsertim proponuntur ipsis motiva vtriusque partis eaque examinant, sed potiori parti Doctorum

H h

apparet

apparet quod quis licet possit elicere actionem de qua agitur, propositis & examinatis fundamentis eorum qui aliter sentiunt: ergo id est magis probabile.

Obiicit primo Authoritatem Aug. relata *cap. si quis*. Tene certum, dimitte incertum: ergo non licet in casu conclusionis sequi opinionem minus probabilem, quia certum est quod eam non sequendo non fieret malum, & non est certum oppositum, quamvis esset probabile aut etiam probabilius.

Confirmatur vulgari axiomate. In dubiis tutior pars est eligenda.

11 Respondet hanc obiectionem aequè probare quod non posset aliquis facere actionem, quam probabilius putaret esse bonam, quando esset probabile, licet longe minus, quod non esset bona quia certum esset quod non esset malum eam omittente, & esset incertum an esset bona; quia tantum probabile esset quod esset bona, quod est contra aduersarios & omnes Theologos, sed neque liceret facere quod appareret probabiliter non esse illicitum, etiam si non appareret vlla ratione probabile quod esset illicitum, sed videretur tantum id esse possibile quantum ad rationes probabiles alterius partis, per illas enim non excluditur quin esset possibile quod actio esset illicita; nam tum esset certum quod non esset malum illud non facere: hoc autem est contra omnes: ergo hæc authoritates non debent virgeri specialiter contra hanc conclusionem, sed omnibus exponendæ sunt.

Respondit ergo Augustinus & axioma illud intelligenda esse de eo, quod ita est certum ut altera pars non sit probabilis: hoc autem non facit contra conclusionem. Posset etiam intelligi in casibus in quibus non licet sequi opinionem minus probabilem, de quibus inferius.

Aliqui dicunt Augustinum voluisse quod quando certum esset actionem esse faciendam, cum tamen probabile esset quod posset omitti, tum aliquis deberet actionem facere. Sed hæc expositio non placet: nam vel intelligitur de actione facienda, hoc est quæ deberet fieri, & cum tali certitudine non posset esse probabile actionem posse omitti, & sic implicaret casus qui supponitur in expositione; vel intelligitur de actione facienda, hoc est quæ posset fieri, ita ut si nescis sit, quod quiescit certus quod posset absque peccato orare, dubius tamen an teneatur, aut habens opinionem probabilem quod non teneatur, quamvis videat etiam probabile esse quod teneatur, debeat orare; expositio est directe contra nostram doctrinam & propterea reiicienda. Quæ est sistendum in priori, vel dicendum quod S. Augustinus non tam docuerit certum tenendum in casu conclusionis, quam quod ad hoc faciendum consilium dederit; quæ sane expositio est facilis & nullo modo præiudicat conclusioni.

Obiicit secundo non debet quis exponere se periculo peccandi mortaliter: sed exponeret si committeret actionem in casu conclusionis; ergo non licet id facere. Hæc etiam obiectio militaret in casibus, in quibus dixi præcedentem militasse, & propterea contra hanc conclusionem non facit specialiter.

Respondet tamen negando minorem, quamvis enim exponeret se periculo faciendi actionem, quæ est materialiter mala malitia morali, non tamen faciendi actionem quæ est peccatum mortale formaliter, quia ob fundamenta conclusionis nostræ, iudicium etiam minus probabile de bonitate aut non malicia actionis facit ut actio quamvis materialiter esset mala, quia à parte rei prohibita, non sit formaliter mala, nec imputanda tanquam talis operanti ex illo iudicio & motu à bonitate quam probabiliter iudicat esse in actione.

CONCLUSIO IV.

Quando *12* Quando ex sequela partis minus tuta sue non licet eque, siue minus probabile detrimentum valde notabile sequi, & irreparabile sequeretur casu, quo pars minus tuta non esset à parte rei vera, non licet sequi illam, nisi tamen ex ea emissa sequeretur magnum damnum. Hæc

quoad primam partem est communissima, & pater, quia non debet quis se aut proximum exponere in magno periculo, quod præsertim teneretur impedire, si certo sciret ipsum adesse, abq; virgensi causa ut videtur patere ex terminis, sed id faceret sequendo partem minus tutam in casu conclusionis: ergo non licet tum eam sequi.

Si quæras autem quando huiusmodi casus occurrant.

Respondet eos occurrere posse præcipuè in conferendis sacramentis non iterabilibus, Baptismi v. g. Ordinis ac Confirmationis & præsertim Baptismi ac Ordinis, ut si verbi gratia sententia esset minus probabilis quod valida esset hæc forma Baptismi: Baptismo te in nomine Genitoris, Geniti, & Spiriti, magis autem probabilis esset quod non valeret, non posset quis uti illa forma, quia in casu quo à parte rei non esset valida, sequeretur magnum detrimentum Baptisati; cum priuaretur gratia & caractere baptismali, nec valide posset recipere alia Sacramenta; similiter Medicus applicans medicamentum, quod probabiliter non esset periculosum, sed esset tamen magis probabiliter; & relinquens medicamentum quod esset magis probabiliter tutum, peccaret, quia id faciendo exponeret infirmum periculo mortis, casu quo illud medicamentum non esset tutum à parte rei.

*Probat*ur secunda pars nempe quod posset sequi etiam in his casibus partem minus probabilem, quando sequeretur certo magnum detrimentum suum aut alienum, nisi illam partem amplecteretur; quia nec charitas, nec vlla virtus videtur obligare quempiam ad subeundum graue detrimentum certo imminens ad vitandum detrimentum incertum alterius, & tale præsertim quod videtur probabiliter non secuturum, quamvis posset sequi & videretur etiam magis probabiliter secuturum. Plura circa hoc videnda in Commentario meo supra num. 47. Hic tantum addo circa hoc, quod si ex sequenda opinione minus probabili & tuta non sequatur, aliquod emolumentum, non debeat quis eam sequi, nam id videtur ex terminis clarum.

13 Quæres primo an iudex possit ferre sententiam iuxta partem minus probabiliter probatam.

Respondet negativè, tum quia illa cura est ipsi commissa à rep. ut ferat sententiam iuxta partem magis probatam; tum quia fieret iniuria ei, qui melius probavit suam partem, tum quia non posset ferre sententiam pro alterutra parte, quando utraque esset æque tam probabilis: ergo malo minus potest eam ferre pro parte minus probabili.

Quæres secundo an liceat Aduocato suscipere partem minus probabilem defendendam.

Respondet quod non, nisi significet eam esse talem clienti, quia supponendum quod cliens non faceret expensas, nisi supponendo partem suam non esse minus probabilem.

Quod si id significauerit, & tamen voluerit cliens eius operam conducere, potest causam suscipere, modo cliens possit iuste causam prosequi, neque enim clienti facit iniuriam, cum eo volente id faciat; alteri etiam contra quem agit, non potest facere iniuriam, si eam non faciat cliens.

Quæres tertio, An aliquis possit litigare cum altero de re, quam putat probabilius ad ipsum spectare.

Respondet, Non posse ipsum litigare de recuperanda re, quia hoc esset directe procurare quod fieret iniuria alteri de stitia: Nam iniustum esset rem iudicare habenti minus probabilem titulum, posset tamen litigare de aliqua parte rei, aut compensatione pro suo titulo minus probabili, esse ipsius quantum si haberet titulum certum; & à parte rei posset fieri quod res spectaret ad habentem minus probabilem titulum: ergo ratione huius potest aliquid exigere, & si alter negauerit id concedere, potest ad id litigio compelli, supposito præsertim quod habeatur spes id obtinendi.

QVÆSTIO IV.

De conscientia dubia.

14 **H**uiusmodi conscientiam quantum ad propostum habet is, qui non habet ullam rationem, nec probabilem quidem de qua appareat actio facienda esse bona, aut mala.

CONCLUSIO I.

Dubius de bonitate aut malitia actionis debet examinare rem.
Quando habetur huiusmodi conscientia de actione aliqua, debet adhiberi diligentia ad cognoscendum qualiter se res habeat, siue examinando rem bene per se, siue consulendo alios viros doctos ac bonos: Probatum quia hæc obligatio apparet ex terminis.

CONCLUSIO II.

Si non potest abique incommodo non debet.
Si facta debita diligentia maneat adhuc dubium, & possit omittere partem minus tutam, absque ullo considerabili detrimento, debet sequi partem magis tutam. At si non possit eam sequi absque tali incommodo, hoc est si ne eo quod prius se voluptate, aut utilitate alias licita, & multum desiderabili, cuius carentia esset molesta, aut difficilis, potest sequi partem minus tutam, hoc est potest facere actionem illam de cuius malitia sic dubitatur, quidquid dicat communior opinio quæ oppositum tenere videtur.

Probatum primam partem quia apparet talis obligatio ex ipsis terminis.

Probatum secundam partem quia tum non proponitur sufficienter lex qua prohiberetur actio illa: ergo non potest obligare ad omittendam actionem.

Probatum secundum quia quando quis habet occasionem minorem existimandi quod actio sit bona quam mala, ut cum id est minus probabile, potest actionem elicere, secundum communem sententiam per obaram questionem præcedenti: ergo multo magis potest eam elicere, quando habet æqualem occasionem existimandi quod sit bona, ac quod sit mala: sed in dubio de quo agimus habet æqualem, cum æque appareat utrumque ut supponitur.

CONCLUSIO III.

Dubius de malitia actionis & etiam omissionis iuris si dubitaret an malum esset retinere, potest, & etiam dubitaret an malum esset ea non retinere, potest, & etiam dubitaret an malum esset ea non retinere, potest.
Si dubium huiusmodi sit de malitia actionis & etiam omissionis, iuris si dubitaret an malum esset retinere, potest, & etiam dubitaret an malum esset ea non retinere, potest.

Dubius de malitia actionis & etiam omissionis iuris si dubitaret an malum esset retinere, potest, & etiam dubitaret an malum esset ea non retinere, potest.
Primo quia si dubitaret tantum de malitia retentionis adhuc posset retinere quamvis altera pars esset tutior: ergo multo magis potest ea retinere, quando dubitatur de æquali malitia oppositæ partis, quia tunc non est tutior ipsi. Secundo quia cum sciat alterutram partem esse tutam à parte rei, nec sciat quam sit, nulla est ratio cur electio non esset in arbitrio suo. Tercio quia non proponitur sufficienter malitia partis vllius: ergo non obligat vlla ex illis, & consequenter potest facere quod voluerit. Hinc patet quando quis habet huiusmodi dubium inculpabile siue iuris, ut vocant, hoc est cum dubitat an sit ius aliquod prohibens actionem, siue facti, hoc est cum dubitat an commiserit factum, quod constat esse iure prohibitum, posse ipsum amplecti partem minus tutam quando esset ipsi graue aut inconueniens eam omittere, si enim potest eligere partem minus tutam in dubio huiusmodi de malitia actionis, cur non posset id facere in simili dubio iuris aut facti? Sed circa hæc omnia plura fusius tractata in prædicto meo Commentario videri possunt.

Aduerto autem in ordine ad praxim valde difficile esse quod occurrat vnquam casus vtriusque præmissæ conclusionis, quia facti diligentia valde facile est reperire rationem aliquam probabilem pro alterutra parte, vnde resolutio magis speculatiua apparet quam practica.

QVÆSTIO V.

De conscientia scrupulosa.

15 **P**er conscientiam scrupulosam intelligitur cognitio quam habet quis de actione facienda, coniuncta cum timore orti ex eo, quod apprehendatur probabilitas aut possibilitas malitiæ coniunctæ cum tali actione.

CONCLUSIO I.

Quomodo.
Quando habetur regula sufficiens ad operandum qualis est cognitio certa aut probabilis, aut dubium de de malitia actionis iuxta dicta præcedentibus questionibus, bet geter non obstante quocumque timore aut anxietate de malitiæ actionis potest quis operari. Hæc est communissima, & probatur, quia actio erit recta quocumque erit conformis apud regulam rectæ rationis, sed actio de qua agitur et sic conformis non obstante timore: ergo potest elici.

Confirmatur quia timor ille se tenet ex parte voluntatis; ergo non potest inducere obligationem non operandi.

CONCLUSIO II.

Quamuis posset quis conformare se conscientia scrupulosa amplectendo partem magis tutam, de qua non timetur, aliando tamen potest obligari ad eam non amplectendam, ut sic superet tandem scrupulos, & si non obligetur, certe iam melius faciet. Hæc est etiam communis, & patet prima pars, quia non semper obligat scrupulus ad eum deponendum aut superandum, ergo potest quis tum ei se conformare.

Probatum secundam partem quia qui assuescunt conformare se scrupulis, ad eas mentis angustias quandoque perueniunt, ut sint in infelicissimo statu, & in maximo periculo cadendi in culpas mortales, à quo immunes essent, si superarent scrupulos aut iis resisterent: sed hoc ipsum est motiuum sufficiens ad inducendam obligationem, aut saltem ad hoc, ut apparere debeat melius esse iis resistere: ergo.

DISPUTATIO VII.

DE LEGIBVS.



Vandoquidē morales actus, ut boni sint legibus conformari debeant, & si iis aduersentur, eo ipso mali sint necesse est, pro vltimo huius Tractatus complementum, hanc disputationem subiicere placuit in qua non omnia quidem, sed præcipua & vniuersiora & omnium captui magis proportionata praxique deservientia breuiter explicare conabor.

QVÆSTIO I.

De Lege ut sic & eius diuisione.

Quoniam ex dicendis constabit legem naturalem non consistere in vllō actu intellectus aut voluntatis, siue humanæ siue diuinæ, certum debet esse quod lex ut sic non possit in vllō tali actu collocari: nam alias qualibet lex in eo constitui deberet, quia in qualibet reperitur ratio legis ut sic. Et hanc ipsam ob causam lex ut sic, nequit esse actus vllus superioris, quia ut dicemus lex naturalis non est talis actus, nec necessario requirit ipsum.

CONCLUSIO I.

Non sufficienter explicatur lex ut sic dicendo, quod sit illud quod obligat ad actionem aliquam faciendam aut omittendam. Probatum, quia promissio & iuramentum de actione aliqua faciendâ aut omittendâ, quamvis alias non teneretur quis, obligat iurantem & promittentem ad eam faciendâ, & tamen nemo dixerit iuramentum aut promissionem esse legem: ergo non bene sic explicatur lex ut sic.

H h z